CAROLI FRIDERICI KALTSCHMIED

H. T. FACVLTATIS MEDICAE DECANI

PROGRAMMA INAVGVRALE

DE

RARO CASV, VBI INTESTINVM RECTVM IN VESICAM VRINARIAM INSERTVM FVIT

DISSERTATIONI

CLARISSIMI DOMINI DOCTORANDI

CAR. FRIDERICI REHFELD

SVNDENSIS POMERANI

DE


FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS ET SPECIATIM DE TERTIANA SIMPLICI

PRAEMISSVM.

IENAE

LITTERIS TENNEMANNIANIS

CIƆIƆCCLVI.





olidas corporis noſtri partes vitiari ſaepius mala conformatione et hinc vel magnitudine vel numero vel figura, vel poſitura laborare vitioſa ex pathologicis notum eſt. In vltimae huius ſpeciei cenſum venit, quem deſcribere placet, caſus rariſſimus. Infans ad me defertur maſculus trium dierum ano carens, cuius aperturam, vt operatione perficerem, parentes rogant. Petitis parentum ſatisfacturus in gratiam Auditorum in collegio chirurgico publico inciſionem tento, ſed fruſtra, cum inteſtini recti limites inuenire non poſſem. Sperans igitur, inteſtinum rectum repletione faecum magis tenſum poſtero die in conſpectum

venturum profecutionem operationis differo. Sed nec poftero die inteftinum rectum incifioni refpondebat. Fato igitur fuo puellum relinquere coactus iubeo, vt quotidie fymptomatum hiftoriam referrent, aut fi fato cederet puellus, eundem ad me deferrent, quo in cafum hunc rariorem accuratius inquirere ac operationis fruftraneae caufam explorare poffem. Poft octiduum moritur infans. In eodem igitur collegio cultello anatomico caufam operationis fruftra fufceptae perfequor. Vbi curiofo ac inaudito fpectaculo apparebat inteftinum in veficam fupra eius collum immiffum, exigua tamen apertura, ita vt ftylum faltem craffiorem immittere in veficam poffem. Aderant in vefica dilutae faeces, quarum portio etiam cum vrina ante aliquot dies reiecta fuerat, vt coniecturam huius rei facere poffemus. Apertis renibus ac tubulo per peluim immiffo veficam aeque ac inteftinum rectum flatu diftendere, tubulo vero in inteftinum rectum immiffo etiam in veficam aerem immittere, poteram. Tunc vero palam fiebat, cur operatione aut vlla alia ratione infanti medelam adferre impoffibile fuerat. Litteris ad Illuftrem Hallerum datis refpondet ille, fe aliquando in cane eandem vidiffe conformationem. Cum vero in homine hunc cafum vix quispiam inuenerit, placuit fchemate adiecto exhibere delineationem huius inteftini recti in veficam hiantis, vbi A. A. inteftinum rectum commonftrat, B. B. renes oftendit, CC. vreteres denotat, E. collum veficae et F. infertionem in veficam fupra eius collum oftendit. Praepara-

paratum hoc in ſupellectile meo praeparatorum adhuc commonſtrare poſſum.

Praemittere haec placuit inuitationi ad Diſſertationem inauguralem futuro XXVIIII. Decembris die defendendam

CLARISSIMI DOMINI DOCTORANDI

CAROLI FRIDERICI REHFELD

SVNDENSIS POMERANI,

qui ſequens nobis vitae exhibuit curriculum:

Ego CAROLVS FRIDERICVS REHFELD Anno MDCCXXXV die II Nouembris lucem adſpexi Sundiæ. Patrem, inter coelites iam triumphantem, veneror PAVLVM REHFELDIVM, Superintendentem olim Eccleſiarum Sundenſium nec non paſtorem primarium, ac Gymnaſii, quod Sundiae floret, Profeſſorem Theologiae atque Scholarcham; matrem vero MARIAM MARGARETHAM, ex ſtirpe HOYERIANA ortam. Optimorum parentum, maximum in educatione bona ſtudium adhibentium, prima omnino cura fuit, quam ſolertiſſima, vt primis chriſtianae religionis veritatibus imbuerer, quibus praemiſſis, in artium liberalium fundamentis primo inſtruerer: Quem ad finem non ſolum ipſi operam ſuam ſufficienter adhibuere, ſed et priuatis me dedidere praeceptoribus, quos veneror WENTINVM, CVRTIVM. Primis ita artium liberalium principiis inſtructus, iuſſu optimorum parentum Gymnaſium Sundenſe frequentaui, cuius aſſeſſores, vt praeceptores, veneror Celeberrimum atque Excellentiſſimum LOEPERVM, tunc


 tem-

temporis Professorem Theologiae atque Superintendentem Sundensem, nunc vero pie iamiam defunctum; Rectorem BARTHOLDI, Conrectorem WACKENRODERVM et Subrectorem POMMERESCHIVM. Anno MDCCL numero Studiosorum Gryphiswaldensium adscriptus sum a Rectore Magnifico t. t. Excellentissimo Professore AEMINGA: atque ita praeparatus Anno MDCCLII, Mense Aprili hanc Musarum Salanarum sedem petii florentissimam, vbi, inter ciuium academicorum numerum receptus a Celeberr. atque Excellentissimo Professore REVSCHIO, sceptra tunc temporis tenente academica, ad altiora addiscenda iam dedi operam. Vt igitur omnibus necessarias scientias philosophicas vlterius prosequerer, praelectionibus Logices Praeclarissimi atque Doctissimi Dni M. WIEBE interfui, in veritatibus vero metaphysicis ex doctissimo ore Excellentiss. ac Celeberr. Professoris REVSCHII instructus sum atque Ius Naturae solide explicantem audiui Illustr. atque Excellentissimum DARIESIVM; atque cum per primum cursus academici mei tempus studio me tradiderim Theologico, in huius scientiae disciplinis addiscendis Praeceptores veneror Viros summe reuerendos amplissimos, excellentissimos, WALCHIVM in historia ecclesiastica, et REVSCHIVM, introductionem suam in Theologiam reuelatam et Baieri Compendium Theologiae positiuae egregie explanantem: linguae hebraicae vero fundamenta me docuit Praeclariss. Dn. Adiunctus HIRTIVS. Per vnum ita annum et dimidium cum Philosophicis et Mathematicis tractans Theologica, aegrotanti mihi insignis, ea addiscendi, quae ad artem salutarem pertinent, oriebatur cupiditas. Qua de re ab hoc tempore Celeberrimorum Medicorum praelectionibus sedulo interesse incipiebam. Illustrem igitur ac Excellentissimum HAMBERGERVM praeceptorem habui, tam in Mathematicis ac Physicis, quam in Physiologia, Pathologia et Semiotica, nec non Mechanica ad Corpus humanum adplicata, cuius os diuinum vt plura exponens audire potuissem, matura huius viri ingeniosissimi atque Doctissimi, qua ciuibus Salanae eripiebatur

batur, morte, impeditus fui. Nunquam vero, donec ero, grata mente agnoscere desinam salutaria ac praeclara ea, quae ex ore sapientissimo Perillustris atque Excellentissimi KALTSCHMIDII, facultatis Medicae Decani h. t. spectatissimi, accepi praecepta in Anatomicis et Osteologicis pariter ac in materia medica, Chirurgia, arte obstetricia, nec non ipsa in praxi medica. Neque ideo parui ab hocce Viro longe lateque Celeberrimo orti mihi fructus sunt, quod varia ipsum secantem cadauera, nec non operationes quasdam chirurgicas mira et manus et ingenii promptitudine instituentem vidisse mihi licuerit. Ingens etiam Excellentiss. ac Celeberr. STOCKIVM in addiscendis scientiis medicis adtulisse mihi emolumentum, gratissimo sane fateor mente. Neque parum me ex Excellentissimi ac Doctissimi Professoris FASELII praelectionibus solidissimis hausisse vtilitatis, nunquam non gratus praedicabo, dum magni mihi ex iisdem in Physiologicis, Pathologicis, Materia medica et Methodo medendi generali nec non in Osteologicis orti sunt fructus. Rem herbariam audiui apud Illustr. WEDELIVM. In Mathesi tam pura, quam mixta nec non in Physicis praeter laudatum Illustr. HAMBERGERVM, praeceptorem etiam habui Excellentissimum SVCCOVIVM, in Physicis vero quoque Excellentissimum WIEDEBVRGIVM. In Chimicis denique praeceptorem veneror Experientiss. atque Doctissimum Dominum D. FVCHSIVM, cuius solidas profecto instructiones etiam nunquam non grata recordabor mente.

Ita optime praeparatus noster ex desiderio ipsius die 1 Octobris in numerum receptus est candidatorum atque ad examina admissus; in quibus Facultati nostrae eruditionem suam exacte probauit et hinc ipsi concessum est, vt futuro XXVIIII. Decembr. a. c. dissertationem

suam

ſuam inauguralem de Febribus intermittentibus et ſpeciatim de tertiana ſimplici publice defendere poſſit. Hunc itaque actum inauguralem vt Magnificus ac ſumme reuerendus Academiae Prorector, Patres Academiae venerandi, Hoſpites omnium ordinum honoratisſimi, generoſi, nobiliſſimi et doctiſſimi Domini Commilitones magnifica ac honorifica ſua praeſentia ſplendidiorem ac ſolennem magis reddere velint, ea qua decet, obſeruantia ac humanitate nomine Collegii mei inuito. Ienae die 25. Decembr.
1756.




B
B
C
A
C
D
A
E